



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. III. De Consangvinitate, & Affinitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

Votorum qualiter instrumenta, ac monimenta asseruanda, & si ex impossibilitate non exsoluentur refarcienda, & ab Episcopo solenniora quando curanda erunt. Cap. III.

Voti nuncupati instrumentum, Notarij manu confectum, auctoritateq; munitum, ad Episcopum mensis saltem spatium asseratur, vt in Archiuo Episcopali asseruetur perpetuo, cuius instrumenti, etiam exemplum, eiusdem Notarij testificatione, fideq; roboratum in Ecclesia illius populi, Uniuersitatis ve, que uouit, vt diligentissime potest, custodiatur ad perpetuitatem.

Utq; voti, cuius executio in perpetuum prestanda sit, monumentum in conspectu omnium extet, idem curet, in tabella lapidea votum, votiq; causam, & conditiones incidi, eandemq; loco Ecclesie conspicuo, atque illustri collocari, atque parieti agglutinari.

Vbi autem, cum votum nuncupatur, prescripta ratio, ac ceremonia, ob pestem, aliam ve causam necessariam prestari non possunt; tunc omnino eas prestari curet Parochus vbi primum potuerint.

Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam ritus, ceremoniasq; adhiberi Episcopus curet, si ciuitatis populus votum nuncupare deliberarit.

DE CONSANGVINITATE,
& Affinitate. Tit. IIII.

Quando matrimonium inter eosdem iterum celebrandum erit.

Cap. I.

QUIBUS matrimonij contracti in vno aliquo ex impedimentis, quibus illud contractum dirimitur, dispensatio a sancta sede Apostolica, aut in foro conscientie, aut in vtroque foro delegata est; ij, vt ad literarum Apostolicarum prescriptum illos, cum quibus dispensari concessum est, matrimonium iterum contrahere cogant.

Nō. n. incipit valere matrimonium propter Papę superuenientē dispensationē, per solā cohabitationem, & copulam subsequētē, sed necesse est, vt nouo contrahatur. Nau. in Man. c. 22. nu. 80. & nu. 86. & vbi prius cū requisitis solen-

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS.

Tit. V.

Quis impotens ad contrahendum matrimonium non admittatur.

Cap. I.

NON permittat Episcopus eunuchum, spadonem, aut castratum quouis modo matrimonium contrahere, & contracta dissoluat cum verē matrimonia non sint, sed immunditię, & spurcitię, vt sanctissimus Dominus noster Sixtus Papa Quintus per suas literas declarauit, quas in fine huius libri imprimi mandamus.

nitibus contractum fuit, sine illis & clam, denuo contrahi potest. Ita quidem declarasse Pium V. & ea declaratione sacrum poenitentiarie pratorium frequenter vti testatur. Idem Nauar. d. c. 22. nu. 70. & nu. 86. Vide c. 2. eo. ti. in Decret. Sot. in 4. sent. dist. 34. q. 1. art. 2. Tom. 2.